This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

Austr.
5511
b

Digitized by Google

Austr. 5511 B

Digitized by Google

BESCHAFFT AUS MITTELN DER

Carl Friedrich von Siemens Stiftung

Digitized by Google

Digitized by Google

DE SUPPLICIO TEREBRATIONIS

EJUSQUE VARIETATE

EPISTOLA

JOANNIS JOSEPHI

PAULOVICHII LUCICHII

J. U. Doctoris, Patricii, Canonici, & Provicarii Generalis Macarenſis, Socii Etruſci, Volſcorum, Unanimium Taurinenſium, Spalatenſium, & Jadratinorum, Inſignis Regiæ Neapolitanæ Arcadiæ Sebethidos &c. &c.

VENETIIS MDCCLXXXXIV.

TYPIS COLETIANIS

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

In iſta figura hominis feritas & immanitas belluæ a communitate, tamquam humanitate corporis ſegreganda eſt.
Cicero lib. 3. Offic.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO P. F.

GREGORIO A VARESS

Vicario Generali Epiſcopi Trapezopolitani & Vicarii Apoſtolici in Boſna Argentina, bis Miniſtro Provinciali, & Ex-Definitori Generali &c. &c.

JOANNES JOSEPH PAULOVICHIUS LUCICHIUS CANONICUS MACARENSIS

S. F.

PErbrevem hanc de Supplicio Terebrationis Epiſtolam in vulgus editurus, Tibi eam, Vir Illuſtriſſime ac Reverendiſſime, imprimis inſcribendam duxi, ut nimirum publico hocce obſervantiæ in Te meæ pignore poſteris memoriæ tradatur, quanti fecerim virtutem ſapientiamque tuam. De his nunc ſermonem facturus, ſi de ſingulis congrua dixero, adulari putabor: ſi quædam ſubtraxero, ne incredibilia videantur, damnum laudibus tuis mea faciet verecundia. Quid igitur faciam? Quod implere non poſſum, negare non audeo. Munera ipſa Tibi ab Obſervanti Provincia tua, ab Epiſcopo Trapezopolitano, atque ab immortali feliciter regnante Pio VI. Summo Pontifice ju-


Digitized by Google

re meritòque collata omnem abs Te promeritam laudationem loquuntur: nam dignitates, quas adeptus es, non ſunt quidem indigni hominis quæſita ornamenta, ſed quæ miniſteriorum præclare geſtorum præſtantia ſplendidius micant in Te uno, quam ſi ſingula ſingulis obtigiſſent dignis ceteroquin Eccleſiaſticis Viris. Sane non ſunt hæc aſſentantis, ſed veritati obſequentis animi ſenſa. Idipſum ſe de Te ſentire gloriantur quotquot Te noverunt; norunt autem plurimi ſummique Viri, quorum alii ſcientiam, & fortitudinem tuam, alii religionis, chriſtianæque diſciplinæ propagandæ zelum, alii in rebus agendis dexteritatem, alii vero gratiam & auctoritatem prædicant, qua barbaros ipſos & infideles homines in tui admirationem, & obſequium perduxiſti. Solum Tibi de invidis quibuſdam ſupereſt agere triumphum. Verum ex his ipſis Tibi ſalus & gloria. Comes individuus corporis umbra: comes individuus virorum optime meritorum invidia. Supplicium eſt invidis proſperitas tua. Supplicium religioſi cordis tui eſt incorrecta ipſorum malitia. Macte animo Vir Illuſtriſſime ac Reverendiſſime. Victoria, quæ vincat invidos, ſit charitas tua in patientia, & patientia in charitate. Non pauca hæc mea, quam glorioſo nomini tuo de terebrationis ſupplicio inſcripſi, Epiſtola ſuppeditabit exempla. Eam igitur gratanter excipe, ac rectum cor tuum tot alienæ invidiæ jaculis dire ſauciatum, ea, quæ tecum crevit, pietate confirma. Vale.

Macarſchæ in Dalmatia Nonis Auguſti MDCCLXXXXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google



Humani Capitis decem clavis terebrati, & in perantiquo apud vetuſtam Salonitanam Dalmaticam urbem tumulo reperti Anno MDCCLXXXXIV. Iconographia.

Digitized by Google

DE SUPPLICIO TEREBRATIONIS

EJUSQUE VARIETATE

EPISTOLA.

Clariſſimo Religioſiſſimoque Viro

FIDELI JADERENSI

Ordinis Capuccinorum Concionatori, Archiepiſcopi Primatíſque Spalatenſis Theologo, Socio Academico Spalatenſi, Etruſco, &c. &c.

JOANNES JOSEPH PAULOVICHIUS LUCICHIUS MACARENSIS

S. F.

§. I. EX Romanæ eloquentiæ Patris ſententia (1), inhumanitatem omni ætati moleſtam fuiſſe perſpicimus. Quod ad nos ipſos ſpectat, moleſtia nos afficit ſane non vulgaris, de his tractatulum nunc debere conficere, cum tot tantiſque ſacerdotalis officii (2) curis, vel hoc ipſo recurrente quadrageſimali tempore, diſtenti, rerum pondere pene fatiſcimus. Verum ne literarum ſtudio publicæ utilitati deeſſe voluiſſe forte videamur, pauca atque perexigua in rem accipe, Vir Clariſſime ac Religioſiſſime. Quæ unquam hominis in hominem major crudelitas, quam humano capiti orbiculatam novem clavorum coronam, decimo ad perpendiculum confixo, abſque ullo humanitatis ſenſu hominis calvariam perfodiendo imponere? Iſtiuſmodi jam in Saloni-

(1) Cic. in Caton. Major. alias de Seneſt.

(2) Vir ipſe præclariſſimus, cui hæc inſcripta fuit Epiſtola, plurimorum fructu, omniumque plauſu eodem hoc anno Verbi Dei Italico ſermone in Primatiali Metropolitana Spalatenſi Eccleſia miniſterium exercebat, quo eodem officio per tot annos jampridem apud Spalatenſes laudabiliter perſunctus eſt.

Digitized by Google

nitano iſto Dalmatico agro effoſſum paulo ante hominis caput fuiſſe ſcribis, ſimulque ad ſcribendum provocas, ut videlicet quid de eo ipſe ſentiam intelligas. Voluntati igitur tuæ pro ingenioli parvitate, temporiſque anguſtia morem gerere paratus, raptim curſimque reſpondeo, precorque, ut quidquid breviter in rem excerptum, lectori conſiderandum propoſuero, illud feſtino calamo exaratum, pro inſigni humanitate in me tua, æqui bonique facere memineris.

§. II. Immani atque pervetuſto terebrationis ſupplicio enecatum fuiſſe hominem, cujus caput decem clavis dire perfoſſum iſtic repertum eſt, nullus ambigendi ſupereſt locus. Terebrationis ſupplicium, unum quidem erat nomine, ſed multiplex ipſa cruciandi ratione: tranſverberare namque, transfodere, transfigere, aliaque ſimilia late ſumpta idem ſonant, atque terebrare, quod eſt terebra perfodere; quamvis alia atque alia terebrandi ratio ſupplicii deſignet diverſitatem ex diverſo inſtrumentorum, quo perficitur, genere. Sub ſpinis & tribulis terebrationis cruciatus olim ſic fiebat, ut miſeri homines humi ſtrati, ſpinarum & tribulorum aculeis, ſaxorum trabiumque pondere in eorum corpora adactis præfocarentur. Horribili hac morte peremptos Titus (1) Livius dicit *ſub crate necatos*; quod ſupplicium Romanis moribus receptum, non ignotum fuiſſe novimus Carthaginienſibus (2) etiam ac priſcis Germanis. Sævi hujus auctor ſupplicii Gedeon (3) primus occurrit, qui a Madianitis victor regrediens, urbis Socot Optimates captos ſub tribulis & ſpinis deſerti contrivit. Ejuſdem rationis pœna illa eſſe videtur, quæ a (4) Davide in Ammonitas, & in Iſaiam (5) a Manaſſe quondam fuerat illata.

§. III. Calamis quoque, arundinibus, ſudibus, & ſubulis terebrationes factas fuiſſe in Actis Sanctorum Martyrum legimus. Sancti Metrani M. vultum & oculos præacutis calamis

ſub

(1) Lib. 4. (2) Plaut. in Pœnulo Scen. *Ain tu &c.*
(3) Judic. cap. 8. v. 16. (4) 2. Reg. cap. 8. v. 2.
(5) Vide Calmet de ſuppliciis ſacræ Scripturæ.

Digitized by Google

ſub Decio Imperatore a Paganis terebratos Martyrologium (1) Romanum edicit ex eo, quod ad juſſionem Paganorum noluerit impia verba proferre. Sic de S. Beniamin Diacono relatum accepimus, quod ſub Iſdegerde (2) Rege ungues arundinibus acutis confixus, & ſpinoſa ſude per alvum tranſmiſſa, martyr occubuerit. Sic etiam S. Iſchyrion M. præacuta ſude (3) per media viſcera tranſverberatus, neci traditus fuiſſe perhibetur. De Sancta vero Aquilina virgine & martyre hæc habemus, quod (4) duodecim annos nata, ſub Diocletiano Imperatore, & Voluſiano Judice ob fidei conſtantiam ſubulis candentibus perforata, gladioque percuſſa, virginitatem martyrio confecraverit.

§. IV. Tarinchas pariter, puncta creberrima, & graphia in terebrationis inferendo ſupplicio non ſemel adhibita fuiſſe, ex memoratis Sanctorum Martyrum Actis liquidò colligimus. Quod ad Tarinchas attinet, ex varia Actorum eorumdem lectione aſſequi tantum poteſt, atrocioris tormenti genus incognita hac voce ſignificari, quod, ut quædam Manuſcripta vetera teſtantur; per ſudes ferreas (5) Sanctis Martyribus perſecutores irrogabant. Baronius Tarinchas illas putat eſſe, quas (6) Joſephus libro de Machabæis ex verſione Eraſmiana appellat ſucceſſoria, quæ (inquit) erant tenuia ferri tela ad incendendum Martyrem comparata. In Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis a Ducangio edito *Taringæ* & *Tarincæ* veteri lingua Gallica ſudes ferreæ dicuntur; idque confirmat in lib. de Martyrum cruciatibus Antonius Gallonius, qui cap. ultimo terebrationis tormentum innuit, eoque Fauſtam Virginem in capite cruciatam indicat ex Martyrolog. Rom. ad diem 20. Septembris. Diriſſimo iſtiuſmodi ſupplicio Rictiovarus Præſes ſub Maximiano Imperatore Sanctos Martyres Victoricum & Fuſcianum (7) affecit, in eorum auribus, & naribus Tarinchas immittendo.

(1) Martyrol. Rom. die 31. Januarii. (2) Idem die 31. Martii.
(3) Idem die 22. Decembris. (4) Idem die 13. Junii.
(5) Vide Mombrit. tom. 1. Vitæ Sanctor. (6) Vide Baronium tom. 2. ann. 303. n. 128. (7) Martyrol. Rom. die 11. Decembr.

Digitized by Google

§. V. Punćta vero creberrima in terebrationis ſupplicio dupliciter intelligi poſſunt. Alia enim ad excruciandum tantummodo, alia autem ad inferendam ipſam necem adhibebantur. Illa dicebantur ſtimulea, furibuſque ſervis admovebantur. De his ſæpius Plautus pluribus in locis his verbis (1): " Neque niſi ſupplicium ſtimuleum de te datur ". Alibi vero (2): " Utinam ſtimulus in manu mihi ſit! " Et alio in (3) loco: " At ego te pendentem fodiam ſtimulis triginta dies. " Stimuleis creberrimis punćtis latera Sanćtorum Martyrum ſæpius confoſſa fuiſſe, eorum Aćta probant quam apertiſſime. De Hippolyto Prudentius (4) ſic canit: " Illaque infeſtis perfodiunt ſtimulis. " Stimulea hæc punćta apud Dionem inſuper commemorantur, velut media quædam in quæſtionibus ad extorquendam veritatem adhibita. Unde Porcia (5) ad Brutum virum ſuum hæc inter alia dixiſſe fertur: " Neque enim adeo muliebri ſum natura, ut me ad efferendum arcanum vel flamma, vel flagra, vel ſtimuli adigere poſſint. " At punćta creberrima, quibus Sanćti Martyres necabantur, excogitata primum referuntur a Cajo Caligula Principe ſæviſſimo, de quo hæc habet Suetonius (6): " Non temere in quemquam, niſi crebris & minutis ićtibus animadverti paſſus eſt, perpetuo notoque præcepto; ita feri, ut ſe mori ſentiat. " Idem ipſe Suetonius ſcribit, minutiſſimis (7) ićtibus Galbam excarnificatum fuiſſe. Hoc terebrationis ſupplicio Sanćtum Alexandrum (8) Pontificem ſub Hadriano Principe Aurelianus Judex punćtis nempe creberrimis per tota membra confodiendo peremit. Hoc idem ſupplicii genus acerbiſſimum exiſtimabatur, graphiiſque ut plurimum fiebat; de quo etiam Seneca de clementia ad Neronem (9) ſermonem facit, cum agit de Erixonis Equitis Romani populari ſupplicio. Genus hoc mortis graphiis inferri conſuetum fuiſſe Suetonius (10) pariter affirmat ſic inquiens:

(1) In Milite glorioſo. (2) In Aſinaria. (3) In Menæchmis.
(4) Hymn. 11. (5) Apud Dionem lib. 44. (6) In Cajo cap. 30.
(7) In Galba. (8) Martyrolog. Rom. die 3. Maii.
(9) Lib. 1. cap. 14. (10) In Cajo cap. 28.

Digitized by Google

quiens: " Cum diſcerpi Senatorem concupiſſet, ſubornavit
„ qui ingredientem curiam repente hoſtem publicum appel-
„ lantes invaderent, graphiiſque confoſſum, lacerandum ce-
„ teris traderent. „ Alium (1) quemdam inſuper ſcribit, traditum fuiſſe pueris verberandum, graphiiſque confodiendum: Hoc graphiorum ſupplicio per infirmas puerorum manus in Sanctum Caſſianum Martyrem perſecutor quondam animadvertit, atque minutiſſimis ictibus confoſſum, diutino graviſſimoque (2) cruciatu, hocce terebrationis genere dire peremit.

§. VI. Nonnulli etiam Sancti Martyres punctim pugionibus transverberati leguntur, ut S. Priſcus M., (3) ex quo patet terebrationem per pugiones quandoque (4) peractam.

§. VII. Alia inſuper in Sanctos Martyres potiſſimum terebrandi ratio in eorum Actis commemoratur. Collum impii perſecutores circa tendinem inaudita feritate perforabant, & Martyris linguam exinde extrahebant, ſicque eum crudeli morte necabant. Sic Puſicius præfectus Regis artificum ſub Sapore Perſarum Rege terebratus occubuit, eo quod Sanctum Ananiam S. Simeonis Epiſcopi Seleuciæ presbyterum titubantem ſtrenue corroboraverit (5).

§. VIII. Nec illa terebrationis ſpecies hic loci prætereunda videtur, qua vectis inſtrumento hominis tempora transfigebantur. Ex ferro paſſim erat, quod in hoc inferendo ſupplicii genere inſtrumentum adhibebatur, & vectis ex eo dicitur, quod manu huc atque illuc vehatur. Sic crudeliter terebratum legimus Amos Prophetam Domini, quem Oſee filius Amaſiæ Sacerdotis vitulorum Bethel vecte per tempora (6) transfixum dire interemit.

§. IX. Laminis etiam ardentibus olim homines terebrabantur, quod pervetuſtum cruciamenti genus in SS. Martyrum Actis paſſim commemoratur. Metalli cujuſvis fruſtum erat lamina,

 quæ

(1) Idem cap. 27. (2) Martyrol. Rom. die 13. Auguſti. Vide etiam Baronium tom. 2. ann. 340. (3) Martyrol. Rom. die 20. Septembris.

(4) His terebrandi modis ſuperaddi etiam poteſt ſagittarum ſupplicium, quo tot Sancti Martyres interempti, terebrationis pœnam jure dicendi ſunt pertuliſſe in ſenſu Epiſtolæ noſtræ. (5) Martyrol. Rom. die 21. Aprilis.

(6) Sic Euſebius in Chron. & Martyrol. Rom. die 31. Martii.

quæ in latitudinem ducta & acuminata, ad aliquid religandum firmandumque pariter inſerviebat. Hinc illud (1) Cæſaris: "Eo ſuper tigna bipedalia injiciunt, eaque laminis „ claviſque religant. „ Verum laminis, ut ſupplicii terebrationis inſtrumentis, membra Martyrum confodiebantur, quibus eo crudelius in eos deſæviebant, quod inſuper ignitas adigebant in Sanctorum corpora, ſicut factum fuiſſe teſtatur Clariſſimus Ruinart (2) in paſſione S. Vincentii Levitæ, cujus pectus totumque corpus ardentibus acutis aſperiſque laminis terebratum ſcribit.

§. X. Omnium poſtremus Martyres terebrandi modus nunc demum recenſendus occurrit, qui per ferreos clavos fiebat. Verum nec in hac infligenda ſæviſſima pœna una perſecutoribus Martyres excruciandi ratio fuit. Nam alios legimus duobus clavis confixos martyrium conſummaſſe, ut S. Baſſus (3) Epiſcopus in perſecutione Decii & Valeriani ſub Perennio Præſide: alios ſuper ligna concremandos clavis diſtentos; ut (4) plures Sancti Martyres in perſecutione Wandalica ſub Hunnerico Rege: alios plurimis (5) clavis cruci affixos, dire pariter interemptos, ut Sanctus Agricola: alios toto corpore (6) clavis perforatos in cælum migraſſe, ut S. Fauſta Virgo: alios inter duas tabulas medios clavis confixos, martyrii coronam accepiſſe, ut S. Daniel (7) Cleri Regularis Levita. Sed illud in rem tormenti genus præ cæteris videri quidem poteſt horribilius, quo in hominis caput, in quo ſenſus omnis viget, clavus pangebatur. Jahel (8) uxor Haber omnium prima clavum tabernaculi, eum ſcilicet ferreum paxillum, quo in terra tabernaculum funibus extentum figitur, malleo per tempora & cerebrum in Siſaræ caput adegit. Sic ardentibus clavis tempora SS. Martyrum (9) Victorici & Fuſciani impius Rictiovarus Præſes juſſit crudeliter transfi-

(1) 2. Bell. Civil. (2) Atti Sinceri &c. tom. 3. Roma 1778. fol. 190.
(3) Martyrolog. Rom. die 5. Decembris. (4) Martyrol. Rom. die 17. Auguſti. (5) Idem die 4. Novembris. (6) Idem die 20. Septemb.
(7) Martyrolog. Sanctor. pro Canonicis Regularibus die 17. Februarii.
(8) Judicum cap. 4. v. 21.
(9) Martyrolog. Roman. die 11. Decemb.

Digitized by Google

figi. Sic S. Severus Epiſcopus (1) & Martyr ob Fidem Catholicam clavo capite confoſſo martyrii coronam accepit. Caput demum pluribus clavis terebratum fuiſſe legimus in paſſione (2) S. Philomeni Martyris, perſequente Dei Eccleſiam Imperatore Aureliano, nec non in Actis S. Fauſtæ Virginis & Martyris ſub Maximiano Imperatore.

§. XI. Atque hoc tibi, Vir Clariſſime & Religioſiſſime, ſit, quod a me de hoc terebrationis ſupplicii genere exquirebat reſponſum. Eruditione, rerum pulchritudine, & curioſitate præſtantiora omnino ex Antonii Gallonii de Martyrum cruciatibus poteris eruere. Fertilis olim Sanctorum Martyrum extitit Salonitanus Dalmaticus ager, quem Romanum Martyrologium (3) ob Domnii Epiſcopi, Anaſtaſii (4) Cornicularii, & Militum octo triumphalem celebrat paſſionem (5).

§. XII. In effoſſo hominis dire interempti capite adhuc perſtare ſcribis ipſa terebrationis ſupplicii inſtrumenta. Probe noſcis præ cæteris Babylam Antiochenum (6) Epiſcopum ſanctiſſimum glorioſæ vitæ finem in vinculis ferreis ſortitum, cum iiſdem fuiſſe ſepultum, & in Romanis Martyrum Hypogeis reperiri ſolere plura cruciatus ipſorum inſtrumenta. Mos enim Chriſtianis erat, ut in Martyrum monumentis ipſa quoque martyriorum inſtrumenta reconderentur. Sic ex S. Ambroſii teſtimonio (7) in ſepulcro Sancti Agricolæ inventa fuit crux & clavi, quibus ille fuerat cruci affixus. Sic Baronio referente (8) ſcimus, Corpus S. Clementis repertum fuiſſe una cum anchora, qua ad collum alligata, fuit in mare demerſus. Sic affirmat Petrus (9) de Natalibus, corpus S. Danielis M. anno 707. inventum eſſe una cum iiſdem clavis, quibus martyrium fuerat perpeſſus. Verum paſſionis inſtrumenta penes defunctos in ſepulcris reperta, ſint nec ne cer-

tiſ-

(1) Idem die 6. Novembris.
(2) Idem die 24. Novembris. (3) Martyrol. Rom. die 11. Aprilis.
(4) Idem 21. Auguſti. (5) Ex Mombritii teſtimonio tom. 1. p. 161. liquido colligitur in urbe olim Salona ſub Diocletiano anno 286. 8. Novembris paſſos fuiſſe Sanctos Martyres Symphorianum, Claudium, Nicoſtratum, Caſtorium, & Simplicium. (6) Martyrol. Rom. & S. Joannes Chryſoſt. in lib. contra Julianum, & Gentiles tom. 2. pag. 554. (7) In exhortatione ad Virgines, in principio. (8) In Annal. ad annum 102. (9) Lib. 2. cap. 60.

Digitized by Google

tiſſima perpeſſi pro Chriſto Martyrii ſigna, ſatis ſuperque in rem ſcripſere eruditi clariſſimique viri (1) Caſalius, (2) Ricciullus, (3) Aringhius, (4) Abbas Trombelli, & noviſſime (5) atque luculentiſſime immortalis Benedictus XIV. Inter quinque numero ſigna, quibus in cœmeteriis urbis diſtinguuntur Corpora Sanctorum Martyrum ab aliis corporibus Chriſtianorum, inſtrumenta martyrii cum Martyrum Corporibus recondita, ſecundum obtinent locum. Id unum, Vir Clariſſime & Religioſiſſime, animadvertas velim, quod Sac. Congregatio Indulgentiis & Sacris Reliquiis præpoſita, die 10. Aprilis 1668. edixit, palmam, & vas ſanguinis, ſeu ſanguine tinctum pro certiſſimis martyrii ſignis habenda eſſe; aliorum vero ſignorum examen ab eodem ampliſſimo S. R. E. Cardinalium Conſeſſu in aliud tempus rejectum. Quid poſtea in rem Eminentiſſimi Patres decreverint, compertum non habeo. Hoc Tibi cordi ſit oportet, ut in effoſſi claviſque terebrati capitis tumulo diligenter cures perquirendum vitreum, ſeu fictile vas cruoris, quod in ſepulcro ad caput Martyris, calce ut plurimum obſignatum recondebatur: nam pium Chriſtifidelium primitivorum temporum ſtudium in hoc potiſſimum exarſit, ut pro Chriſto interemptorum ſacratiſſimum ſanguinem colligerent, collectumque ad poſterorum memoriam in Martyris tumulo ſervarent; cujus officii gratia plurimos legimus martyrii coronam conſequutos, inter quos ſacrum Virginis & Martyris Conſtantinopolitanæ Paulæ nomen recenſere placet, quæ (6) cum SS. Martyrum Lucilliani, Claudii, Hypatii, Pauli, & Dionyſii cruorem colligeret, comprehenſa, variiſque affecta ſuppliciis, tandem decollata, candentem virginitatis coronam ſanguine purpuravit. Vale, Vir Clariſſime & Religioſiſſime, meque de cæteris etiam quoad hæc ipſa, cum primum poteris, certiorem facere ne graveris.

Macarſchæ XV. Kalendas Aprilis MDCCXCIV.

(1) De Veterib. Sacror. Chriſtianor. ritibus. (2) Lucubrat. Eccleſ. (3) Roma Subterranea. (4) De cultu Sanctorum. (5) De Servor. Dei Beatificatione &c. tom. 4. lib. 4. part. 2. cap. 27. n. 14. 15. 16. 17. &c.
(6) Martyrologium Rom. die 3. Junii.

Digitized by Google

Hic idem Vir Religioſiſſimus de iſtiuſmodi terebrationis ſupplicii ratione etiam ab Clariſſimo Eruditiſſimoque Viro Aloyſio Cuccanio Tifernate, Collegii Romano-Hybernenſis Rectore, ſententiam expoſtulavit; votique compos factus, hanc quæ ſubjicitur, in rem Epiſtolam conſequutus eſt.

Molto Rever. Padre Sig. Sig. Padrone Colendiſſimo.

N*On avvi per avventura iſtromento, col quale i tiranni hanno tormentato i Martiri più frequentemente che coi chiodi conficcati or nelle tempia, or nella ſommità del capo, ed ora per tutte le parti del corpo: e nelle Catacombe o ſacri Cimiterj di Roma è coſa frequentiſſima il trovare dei chiodi or più lunghi, or più corti, colle ampolle di ſangue, e altri ſegni del martirio. Appreſſo il Surio* (1) *di fatti leggiamo, che S. Fauſto e Compagni furono trafitti coi chiodi nel capo, e in altre parti così:* Caput clavis confixit (*il manigoldo*) frontemque, & oculos, & pectus, & tibias, perinde ac crepidam. *Il Bollando ſotto il dì* 28. *Aprile riporta gli Atti del Martire S. Marco diſcepolo di S. Pietro (non l'Evangeliſta), che fu Veſcovo di Atino antica Città di Lucania, diverſa da Atina Città del Lazio, di cui parla Cicerone nell'orazione* pro Planco. *Ivi ſi legge:* Cerebrum frontemque illius clavis acutiſſimis infigentes. *Leggiamo anche in S. Ambrogio nel ſuo Libro* (2) *aver egli trovato dei chiodi inſieme colle reliquie dei SS. Agricola e Vitale. E dopo avere nel c.* 1. *n.* 4. *deſcritto il martirio di queſt'ultimo, tormentato con ogni genere di ſupplicio, in modo che* non eſſet in corpore ejus ſine vulnere locus; *paſſa nel c.* 2. *n.*

(1) Act. S. Fauſti & Soc.

(2) Exhortatio ad Virginitatem.

n. 9. a dire di aver raccolto fra quelle ſacre reliquie, che il S. Dottore mandava in dono alla pia vedova Giuliana, molti chiodi: Nos legimus martyris clavos, & multos quidem, ut plura fuerint vulnera, quam membra. *Dal che appare, che anche il Capo doveva eſſerne ſtato trafitto. Da queſti eſempj, e da altri, che ſi potrebbero facilmente raccogliere ſcorrendo gli Atti dei Martiri riferiti dal Ruinart, dal Surio, e dai Bollandiſti, come ancora dalla Roma Sotterranea dell' Arringhi, del Bottari ec. dai Cimiterj del Boldetti, e di altri Scrittori, è facile il vedere, che pur troppo molti antichi Criſtiani furono tormentati coi chiodi in teſta conficcati, come ſi vedono nel Teſchio da Lei fatto diſegnare. Nè par difficile a concepire, che ſi trovino dei Martiri in luogo, dove ritiroſſi, e viſſe per molti anni Diocleziano Imperatore, che fu il più crudele e inumano perſecutor dei Criſtiani. E' vero, che quando ritiroſſi nell' antica Salona, avea rinunziato all' Impero, ma non avea rinunziato alla ſua barbarie. Onde potrebb' eſſere che qualche di lui Servo, il quale ſcopertoſi Criſtiano, e ricuſando di adorar gl' idoli, ſia ſtato da lui fatto morire ſpietatamente con quei dieci chiodi nel Capo, e altri forſe nel corpo. Ella ſa che i Padroni ſecondo il gius Romano aveano il* jus necis *ſulla vita dei Servi, e anche non avendolo, un Diocleziano ſe lo ſarebbe preſo impunemente anche dopo aver rinunziato all' Impero, come ſe lo preſe Silla, di cui ſi legge, che ſeguitò a far uccidere delle perſone ſin agli ultimi reſpiri della vita, non che dopo aver dimeſſa la Dittatura ec. ec.*

IL FINE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google